



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quoad meridiem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

apud Lezanam, p. 1. c. 21. n. 2. Dico primo contra Fernandez ab eodem citatum, & Peyrinum *Tom. 1. in conf. Pyrrii* n. 19. non esse revocata à Tridentino. Ratio est, quia Tridentinum imponit solum Episcopis ut remedia adhibeant, si quæ sunt necessaria in celebrandis Missis. Cæterum ubi Episcopi non repugnant, non est, cur Religiosi à suis privilegiis dimoveantur. Scio Peyrinum citatum asserere rationes contra nos, sed eas, si rectè expendantur, faciliè à quolibet mediocriter docto dissolvi possunt. Nobiscum sentit Delugo *de Euch. d. 20. sect. 1. num. 19.* citans Ioannem Salas, Rodriq. multosque Theologos Salmanticenses, loquens de secundo privilegio allato n. 10.

17. Dico rursus nec revocata esse à Declaratione prædicta. Ratio pro modo illa sufficiat, quia de hac, nondum constat authenticè.

18. Denique moneo his tribus privilegiis uti non posse Patres Societatis, quia nondum P. Generalis ea ipsis communicavit; quo tamen impedimento alios Religiosos laborare nequaquam solere insinuavimus alibi.

Quoad meridiem.

19. Terminus ultra quem celebrare Missam non licet, est Meridies moraliter acceptus. Ita Pius V. in *Rub. Miss.* Satis est tamen, ad evitandam omnem culpam, si Missa inchoetur ante meridiem, vel in ipso meridie licet ab absolvat postea. Ita Vasquez de *Euchar. 232. c. 4. num. 7.*

Quod si absque ulla causa inchoetur, vel post tertiam partem horæ à meridie, ex Azor. p. 1. lib. 10. cap. 25. quest. 6. vel post mediam horam ex Layman. l. 5. r. 5. cap. 4. num. 4. vel post tres quadrantes ex Bonacina *de Euch. d. 4. q. ult. p. 9. num. 6.* seu post non integram horam plus minulve ex eodem *ibidem*; & Sily. apud Diam. p. 1. *Tom. 4. ref. 14.* peccabitur, sed non nisi venialiter, propter parvitatem materiæ, cum causa nil peccabitur, quia causa vincit defectum illum, aliàs venialiter. Colligo ex Delugo d. 20. *de Eucharist. sect. 1. num. 41.* Scio Navarrum in *Manual. cap. 25. num. 8.* docere etiam hodie, licet celebrari posse, usque ad horam tertiam post meridiem, ut olim licebat, quia nullibi est ablata, (inquit) talis facultas, cui sententiæ favet *Sav. Missa num. 2. in impress. genuina*, quatenus, ob id faciendum, idem concedit. Sed contradicit communis Theologorum sententia cum Delugo l. c. Layman loc. cit. consuetudo à Sum. Pontifice Pio V. in *Rub. Missalis* approbata & censura Prælatorum, qui id facientes punirent; Concinitque Tridentinum dum præcipit, ne Sacerdotes aliis quam debitis (id est, ut explicat Layman loco cit. in *Ecclesia communiter consuevit*) horis celebrent.

20. Illud cum Vasquez de *Eucharist. d. 232. cap. 4. num. 37.* & aliis, planè concedimus in magna festivitate, absoluta tardius concione, in Ecclesia manè exhibita, vel funere Principis, vel solemnì ordinatione, vel simili, posse Missas privatas, etiam tardius, hoc est, usque ad horam tertiam post meridiem, celebrari, ne Missa populus defraudetur.

21. Sacerdotem quemlibet ad dandum viaticum, imò, atque Episcopum, itineris, vel simili causa, posse, una integra hora, postponere, à meridie, ut etiam eundem Episcopum posse ex causa similem facultatem suis subditis impetire, omnes apud Delugo *de Euchar. d. 20. sect. 1. num. 42.* concedunt, juxta ea, quæ in simili diximus supra num. 6. & 7. idem posse Provinciales, & Superiorum localem etiam Provincialis præsentem, quia adhuc Superior localis in sua ordinaria potestate persisterit respectu suorum subditorum, ut ibidem diximus, certum esto. Colligo ex Suarez, 4. *Tom. de Relig. træt. 8. lib. 2. cap. 12. num. 18. juncto cap. 23. a. num. 12.* Ad dandum viaticum posse celebrari usque ad tertiam horam post

meridiem, sequendo tunc opinionem Navarti *num. 19.* dictam, concedit Vasquez 2. *de Eucharist. d. 235. c. 4. num. 41. fine.*

22. Illud item amplectimur, Mendicantes, participantisque cum illis, quia habent privilegium in *Comp. Privil. Soc. Jesu V. Miss. §. 3.* postponendi ex causa Missam per horam à meridie; posse incipere post horam integram, quia pro his privilegium debet esse utile; Si ergo alij possunt, ex dictis num. 9. post non integram horam, Missam incipere, & causa ipsi poterunt, ex eadem causa, aliquanto plus, atque adeo post integram horam. Nota tamen in Societate Jesu debere esse cum licentia Superioris, saltem localis juxta restrictionem illis factam *ibid.* à R. P. Generali.

23. Immo quemlibet Sacerdotem ex justa, v. g. itineris, vel simili causa posse in die festo Missam incipere post integram horam à meridie, docent plerique Henric. Suar. Mirand. Rodriq. quos citat, sequiturque Layman. lib. 4. *træt. 5. c. 4. m. 4.* itaque ex consuetudine, observari testantur. In qua opinione dicendum erit, privilegium modo dictum Medicantibus concessum, non ad diem festum dumtaxat (id enim, cum causa, habent omnes) sed ad alios dies non festivos se extendere.

De Privilegio Mendicantium postponendi Missam usque ad tertiam horam à meridie.

24. Concessit Eugenius IV. apud Bullar. Rodriguez Bulla 11. per Bullam Congregationi sanctæ Justinae, & consequenter aliis participantibus, ut licet possint celebrare in itinere, vel ex causa justa, usque ad Nonam inclusive: *hujusmodi Congregationis* (ait Pontifex) *Sacerdotes in itinere constituti, aut alia ad hoc causa subsistente, ante diem, & usque ad Nonam inclusive, ut celebrare valeant tenore præsentium duximus concedendum.*

Hoc privilegium non esse revocatum à Tridentino, constat ex iis, quæ diximus num. 16. nec eo tamen uti posse Patres Societatis Jesu, nisi eis P. Generalis illud communicet, nimis sapè, per occasionem, diximus item in superioribus.

25. Justam autem causam judico quodlibet impedimentum quo quis propter rationem alicujus momenti non potest ante Missam incipere. Dico (alicujus momenti) siquidem non sufficit, solum ut commodius, celebret, nec ex eo, quod tardius è lecto per segnitiam exurrexeris, nec ut stipem, cum eam non indigeas, lucrari valeas, &c. è contra sufficiat (præter iter faciendum) infirma valetudo quo tardius cogaris è lecto, vel è lecto exire: studium necessarium ad concionem, vel simile, si post Missam illi studio vacare non possis: negotium alicujus momenti, quod differri non potest, multitudo confessionum, si post Missam illis satisfacere non valeas: imò & confessio incepta quam ægrè differre penitens ferat, & elemosina, qua ad victum indigeas, & his non absimilia potius morali judicio, quam certa regula definienda. Semper ergo præ oculis habendum erit debere incidere aliquam necessitatem, nec quidem maximam, dum sumus in privilegiis, quæ in nullius sunt præjudicio: nec vero modicam, cum locus in re non levi.

26. Denique decernamus quotanam hora intelligatur nomine Nonæ. Francolinus apud Delugo *dispuz. de Euch. 20. sect. 1. n. 42.* rem exactè perpendens, docet esse variam, secundum varia anni tempora, nec esse semper tribus horis post meridiem, ut aliqui universaliter affirmant. Docet ergo in Æquinoctio, hoc est die 24. Septembris, die 21. Martij Nonam esse quidem tribus horis post meridiem, at in Solstitio hyemali hoc est 22. Decembris Nonam esse duabus horis cum quadrante post meridiem: in Solstitio autem æstivo, hoc est 21. Junij, esse tribus horis cum tribus quadrantibus. Ratio hujus varietatis ducitur ex eo, quia hæc distinctio dici